I. N. J.

DE

FVNAMBVLIS

In Inclyta Argentinenſium Academia,

PRÆSIDE

VIRO Maxime Reverendo, Ampliſsimo & Excellentiſsimo

DN. JOH. JOACHIMO ZENTGRAVIO,
Philoſ. Pract. Profeſsore ordinario, Patrono,
Fautore, Promotore & Præceptore
omni honoris & obſervantiæ cultu
devenerando,

PUBLICE DISPUTABIT

BALTHASAR CHRISTOPHORUS Leubrandt.
Argentin. A. & R.

Die [illegible] Junij

ARGENTORATI,

LITTERIS JOHANNIS WILHELMI TIDEMANNI.
ANNO M. DC. LXXXI.

VIRIS

Magnificentia, Generis Nobilitate, Munerum Amplitudine, Conſiliorum Prudentia, Plurimum Reverenda Dignitate, Eruditionis Excellentia & multitudine eminentibus & Clariſſimis:

DN. DOMINICO Dietrich/ Reip. Argent. Conſulari, XIIIviro, & Univerſitatis Scholarchæ Graviſſimo.

DN. JOSIÆ STÆDELIO, Conſulari, XIIIviro } & Coll. Wilh. Præfe-
DN. ELIÆ BRACKENHOFFERO, XIIIviro } ctis Benigniſſimis.

DN. JOHANNI RICHSHOFFERO, XVviro, ſuoq; e S. Baptiſm. Fonte Suſceptori beneficentiſſimo.

DN. BALTHASARI BEBELIO, SS. Th. D. & P. P. Ordin. Facul. Theol. h. t. Decano Spectabili, & Coll. Wilhelm. Inſpectori meritiſſimo.

DN. JOHANNI VALENTINO SCHEIDIO, Med. Doct. P. P. & Coll. Wilhelm. Viſitatori.

DN. M. JOHANNI STIEGLERO, Eccleſ. ad D. Nicol. Paſtori, & Cap. Thom. Canon. vigilantiſſimo.

DN. JOHANNI HEUPELIO, Eccleſ. Neopetr. Paſtori, Coll. Wilhelm. Viſitatori.

DN. M. JOHANNI CHRISTOPHORO ARTOPÆO, Gymnaſ. Sup. Præc. & Gymnaſiarchæ Coll. Wilh. Viſitatori.

DN. M. JOH. GEORGIO SCHILLHERO, Eccleſiæ Meiſenhemienſis Paſtori Vigilantiſſimo, Cognato ſuo.

DN. MATTHÆO SCHMIDIO, Quæſtori Jlluſtr. DN. Baron. à Dalberg. Scabino, & Tutori ſuo piè colendo.

DN. M. JOHANNI FRIDERICO OELINGERO, Coll. Wilh. Pædagogo meritiſſimo.

DN. RUDOLPHO STEEGIO, Chirurgo experientiſſimo, & Scabino

Dominis Mecœnatibus, Evergetis, reſpective Cognatis, Patronis, Promotoribus, Præceptoribus ſuis piæ obſervantiæ cultu Venerandis,

Haſce Pagellas conteſtandæ æternæ gratitudinis & debiti obſequii ergo

humillime dedicat, conſecrat

BALTH. CHRISTOPH. Leubrandt. A. & R.

Jeſu Juva!
Præloquium.

DE Funambulis *Colloquii Academici ergo theſes aliquas conſcribere cum animo meo conſtitui, non equidem ut eximiam aliquam jactarem eruditionem, quam nullam eſſe lubens fateor; velut thema hoc pro dignitate ſua, ſecundum ea quæ à Beatis* Eccleſiæ Doctoribus, JCtis, Moraliſtis *atq;* Philoſophis *hic diſputantur, tractarem, id quod à juvenili labore expectari non poteſt, ſed ut* otii mei, *cujus &* Cato *apud* Juſt. *in præf. v. 5.* reddendam operam putat, *apud Patronos conſtaret, haberemq; quæſtionem, in qua Publico in Auditorio ventilanda, ingenii, licet exigui, vires periclitarer. DEUS auſa ſecundet!*

§. I.

DIcuntur *Funambuli* ab ambulando in fune, quia per extenſum funem incedere, & in eodem ambulare ſolent, unde *Juv.* ſat. 14. v. 265.

—— *quique ſolet rectum deſcendere funem.*

Horatio Epiſtol. lib. 2. ep. 2. talis dicitur *ire per extentum funem.* Sic enim canit:

> *Jlle per extenſum funem mihi poſſe videtur*
> *ire.*

Plinio autem Hiſt. Nat. l. 8. 1. *per funes incedere.* Oſtendit autem locus *Horatianus* hanc loquendi formulam etiam uſurpatam fuiſſe ad rem difficilem præſtitu denotandam, ſic enim integer Poëtæ locus habet:

> *At ne forte putes me quæ facere ipſe recuſem,*
> *Quum recte tractent alij laudare maligne,*
> *Jlle per extentum funem mihi poſſe videtur*
> *Ire Poeta:*

i. e. explicante *Bondo*, videtur *rem difficilem aggredi ut funambulus.* *Plauto* appellantur *Funerepi*, *Terentio* etiam: Sic enim *Petrus Crinitus* de honeſta diſciplina lib. 5. cap. 13. *Funerepi voce apud Latinos Terentius & Meſſala uſi traduntur, ut Apulejum imitamus, qui funerepos homines appellat in orat: ad Severianum proConſulem Carthaginis.* Cumque incedere ſoleant in funibus per aëra extenſis, *Petronio* hinc dicitur talis *aërius Viator.*

> *Stuppea ſuppoſitis tenduntur vimula lignis,*
> *Quæ ſuper aërius prætendit crura Viator;*
> *Brachia diſtentans greſſum per inane gubernat,*
> *Ne lapſa è gracili planta rudente cadat,*
> *Ecce hominis curſus funis & aura regunt.*

§. II. Exempla Funambulorum paſſim exhibent Scriptores. *Nicephorus Gregoras.* Hiſt. l. 8. p. m. 158 ἄλλος δὲ ἱστούς τινας δύο καὶ τρεῖς λαμβάνοντες, καὶ ὀρθίως ἐπὶ δαπέδου τινὸς ἱστῶντες. χαλωδίοις ἔνθεν κἀκεῖθεν ὑπηρειδον, ὅσον μὴ ἐπὶ θάτερα περιτρέπεσθαι ἔπειτα σχοῖνον ἑτέραν ἐκ τῆς τοῦ ἱστοῦ ἑνὸς κορυφῆς εἰς τὴν τοῦ ἑτέρου διέτεινον. καὶ πρὸς τούτοις ἑτέραν σχοῖνον ἀποκρεμαμένην ἄχρι κορυφῆς περιελίσσοντες, βαθμίδας τινὰς ἑλικοειδεῖς ταῖς αὐτῶν ἀναβάσεσιν ἐπεποίουν, δι' ὧν ἀνιὼν ἐξ αὐλῶν ἵστατο ἐπ' ἀκροτάτῃ καὶ γυμνῇ τῇ κορυφῇ τοῦ ἱστοῦ, νῦν μὲν θατέρῳ τοῖν ποδοῖν, νῦν δὲ ἄνω μὲν ἄμφω τοὺς πόδας πρὸς ἀέρα ἐξαπλῶν, τὴν δὲ κεφαλὴν κάτω πρὸς τῇ κορυφῇ τοῦ ἱστοῦ προσερείδων. ἔπειτ' ἐκεῖθεν ἀλλομένῳ γενόμενος αἰφνιδίῳ, μιᾷ χειρὶ τῆς σχοίνου στερρῶς ἐδράττετο, καὶ ἐξήρτητο, καὶ πολλὰς οὕτω τὰς περιστροφὰς καὶ περιδινήσεις ἐποίει, ἄνω τε

πρὸς

πρὸς οὐρανὸν καὶ κάτω πρὸς γῆν τοὺς πόδας ἐν βραχεῖ, καὶ συνεχῶς περιστρέφων δίνην τροχοῦ. ἔπειτ' ἀντὶ χειρὸς κοίλῃ τῇ κνήμῃ τῆς σχοίνου δραξάμενος ἐκρέματο κύκλον. καὶ οὕτως αὖθις ὁμοίως τὰς περιστροφὰς, περιδινήσεις ἐποίει. ἔπειτα ὄρθιος ἐπὶ μέσης τῆς σχοίνου ἱστάμενος, καὶ λαμβάνων τόξον καὶ βέλη κατὰ σημείου τινὸς ἐπέμπε πόῤῥω κειμένου. καὶ ἔβαλλεν οὕτω πάνυ τοι εὐστοχώτατα, ὡς οὐδ' ἐπὶ γῆς ἱστάμενος ἕτερος. ἔπειτα μύων τοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ λαμβάνων ἐπὶ τῶν ὤμων, παιδίον ἐνασέριον τινα, τὴν πορείαν ἐβάδιζεν ἐπὶ τῆς σχοίνου ἐξ ἑνὸς ἄκρου πρὸς τὸν ἕτερον. *Naves onerariæ malos binos vel ternos funibus hinc inde in ſolo quopiam firmabant, ne in alteram partem inclinarent. deinde funem alium ex unius mali cacumine in alterius cacumen extendebant, prætereaq́; alium funem à ſolo ad cacumen circumplicantes, gradus aliquot, quibus aſcenderent, faciebant, per quos unus ex eis, cum evaſiſſet, nudo cacumini mali inſiſtebat, nunc alterum pedem, nunc ambos verſus cœlum extendens, caput vero deorſum verſus mali cacumen inclinans: poſt ſubito ſaltu facto, unaque manu fune fortiter comprehenſo, inde pendebat, & ita ſeſe ſæpe rotabat, & circumagebat, ſurſum verſus cœlum & infra verſus terram paulo momento & continenter trochi in morem. Deinde inflexo crure, manus vice fune prehenſo, ſupinus dependebat. atque ita rurſus eodem modo ſe circumagebat & rotabat. Mox rectus in medio fune ſtans arrepto arcu & ſagittis ad ſcopum eminus poſitum collimabat, adeo ſolerter, ut qui humi conſiſteret melius non poſſet, deinde clauſis oculis accepto in humeros puero in ſublimi fune ambulabat ab altero fune ad alterum.* Ita *Majolus* Epiſcopus quondam Vulturarienſis in diebus Canicularibus ſuis Col. IV. fol 72. de homine è Cannariis inſulis oriundo funambulo ita memorat: *Vidit Hiſpali Antonius Nebriſſenſis hominem è Cannariis inſulis ortum, qui in eodem veſtigio ſiniſtri pedis inſiſtens ab octo paſſibus volentibus illum ſaxo petere ſe exponebat, fugiens plagam, nunc facta in alterutrum latus parva admodum capitis declinatione, nunc totius corporis ſubtractione, nunc alterna crurum permutatione venientem ictum fugiebat.* Quanquam ubi ipſa experientia loquitur, compluribus opus non ſit exemplis.

§. III. Antiquiſſimam eſſe hanc artem, inde ſatis conſtat, quod *Terentius*, *Cicero*, *Plinius*, *Seneca*, complureſque alii veterum Romanorum ejus fecerint mentionem. Conſtat

etiam variarum Gentium homines artem hanc exercuiſſe: Nam ut *Romanos* taceam, circulatores iſtos, de quibus *Niceph. Gregoram* loquentem audivimus, idem ex *Ægypto* progreſſos eſſe tradit: *Turcas* audaciæ plane ſingularis funambulos ſe vidiſſe *Cardanus* teſtatur apud *Zvving.* in Theatr. hum. vitæ. vol. 5. p. 1527. de *Aſiatico* homine exemplum adfert *Majolus* in diebus Canicul. l. c. *Chriſtianos* denique exercere eandem, ſæpius videmus & audimus.

§. IV. Cæterum non *mares* tantum, ſed & *fœminas* ex neſcio qua animi levitate operam arti funambulatoriæ dare, & dediſſe, & quidem patre magiſtro, notum eſt. De *Puero* idem teſtatur *Cardanus* de ſubtil. tit. Mirab. *quidam puer*, inquiens, *ſphæris ligneis pedibus ſuppoſitis, aliquando etiam ſacco incluſus totus præter brachia ſuper funem inter cacumina turrium extenſum maximo noſtro pro illius vita metu ambulabat.* De eodem mox idem: *Puer etiam præcipitem ſe dabat, cum ſphæris, alteraque earum fune inter pedis plantam & ſphæram hærente, neſcio prorſus qua ratione, ne ob rotunditatem dilaberetur, pendebat.* Vidimus denique & nos *puellam* in funibus ex artis hujus inutilis præceptis eximie ſaltantem.

§. V. Variat autem ratio in funibus ambulandi. *Didicerunt alii tenuiſſimis & adverſis funibus currere, & ingentia vixque humanis toleranda viribus onera portare*, ait *Seneca* de Ira c. 12. Exemplum exhibet *Cardanus* apud *Zvving.* l. c. de Turcis duobus funambulis. *Duo*, inquiens, *erant juvenes corpore haud magno ſed tereti, quique illorum primum aſſumto homine per funem, ad dimidium recti anguli acclivem adſcendebat etiam abſque ponderum auxilio, inde adjectis gladiis trium fere palmorum longitudinis præacutis, acieq; novaculæ, pedum malleolis rurſum cum homine eodem aſcendebat, adeo diſtentis pedibus, ut nec in plana terræ ſuperficie facile fuerit ſic ambulare.* Alii funibus è ſolo ad cacumina turrium fune extenſo adſcendentes, cum oneribus deſcenderunt, & deſcendunt tanquam ruituri in caput, quod de iisdem Turcis aliisque tradit *Cardanus.* Alii alligatis ad crura enſibus in funibus ambulare & ſaltare ad rythmum, tympano etiam pulſante, malunt. Exemplum habet *Majolus* in diebus Canicul.

l. c.

l. c. *Vidimus*, inquit, *in Ciſalpina hominem Aſiaticum funambulum enſibus prælongis introrſus armata crura habuiſſe, adeo ut gradienti inambulantique funem, oporteret crura admodum dilatare, ne enſium cuſpide crura vulnerarentur, inambulaſſe ſecure: deinde ligna duo teretia tres digitos lata, cubitu longiora ſibi pedibus ſubjeciſſe, iisque rectis inſiſtens funem inambulaſſe.* Aliis corpus in funibus variis motibus & geſticulationibus circumagere placet, ſurſum verſus cœlum, & infra verſus terram, uti ex *Nicephoro Gregora* ſupra audivimus. Notati etiam ſunt alii nudis pedibus, alii ſphæris ligneis pedibus ſuppoſitis, alii rotundis lignis pedibus alligatis inſiſtentes inceſſiſſe.

§. VI. Quid vero de artis hoc & exercitii genere haberi debeat ſecundum moralia principia, dignum eſſe credimus quod diſquiratur. Permiſſum id fuiſſe, permittique hodie adhuc conſtat. Ita, de quibus ſupra ex *Niceph. Gregora* egimus, Schœnobatæ dicuntur *primum ex Ægypto progreſſi, veluti circulum quendam confeciſſe, Oriente & Septentrione peragrato, Chaldæa, Arabia, Perſia, Media, Aſſyria: Deflexoque itinere in Iberiam Caucaſo finitimam, Colchicam, Armeniam, cæteraſque Gentes peragati, quæ Byzantium usque habitant, artem ſuam in omnibus Provinciis oſtentaſſe.* Nec videtur hæc ſtudia in illis improbaſſe *Nic. Gregoras.* τὰ μέντοι τελούμενα ὑπ' αὐτῶν τερατώδη μὲν ἦσαν καὶ θαύματος πλήρη, οὐ μὴν δαιμονικῆς τινος μαγγανείας μέτοχα. Ἀλλ' ἐπιτηδεύματα φύσεως δεξιᾶς, ἐγγυμνασθείσης ἐκ πλείονος εἰς ἔργον τοιοῦτον ἄσκησιν, *quæ autem ab illis agebantur,* inquiens, *erant illa quidem monſtroſa & ſane mirabilia; non tamen quicquam cum diabolicis præſtigiis commune habebant: ſed ſtudia quædam dextri ingenii, longo tempore hujusmodi in rebus verſati, erant.*

§. VII. Nobis contrarium perſuadet primo *Apoſtoli* authoritas, vult quippe *Paulus* Epheſ. 4. 28. *ut operemur manibus, quod bonum eſt.* Ad quæ verba non male commentatur *Cornelius à Lapide,* per τὸ *bonum* intelligens *id quod honeſtum eſt, quaſi dicat, laboret & operetur, ſed ita, ut non ex turpi opificio, ſed honeſto victum quærat;* tale autem opificium ars Schœnobatica non eſt, uti in ſequentibus patebit. Quid enim quæſo utilitatis, quid commodi inde in vitam hominum redundat? Bene *Durrius* in

Theo-

Theolog. Morali cap. 16. §. 5. *Sedulitas debet exerceri in certo vitæ genere, quod in Reip. commodum & incrementum cedit, qualia ſunt munera gubernandi ſocietates civiles, docendi populum Chriſtianum vel juventutem, honeſta negotiationes, opificia, agricultura &c. Ita enim convenienter vivitur ordinationi divinæ.* Geneſ. III. 19. 1. Theſs. IV. 11. 1. Petr. IV. 10. & mox: *Adverſantur huic ordini* funambuli & præſtigiatores, *aliique nullam utilem aut neceſſariam Reipublica operam navantes, ſed potius plebem a laboribus avocantes, & nimis en ungentes contra Pauli præceptum, qui vult operari Chriſtianos, quod bonum eſt.* Epheſ. IV. 28. ἀγαθοεργεῖν 1. Tim. 16.

§. IIX. Improbatur præterea funibus ambulare, quia factum hoc cum impia *Numinis tentatione* eſt conjunctum, nec ſibi σχοινοβάτης cuſtodiam angelorum polliceri poteſt. Deum enim dicuntur tentare homines, uti *Thomas* loquitur 2. 2. q. 97. art. 1. Reſp. vel *expreſſe*, cum quis dicto vel facto intendit experimentum ſumere de divina voluntate & poteſtate, eamque explorare; vel *interpretative, quando ſcil. etſi hoc non intendat, ut experimentum ſumat, tamen id agit vel dicit, quod ad nihil aliud videtur ordinabile, niſi ad experimentum ſumendum, probandamque Dei bonitatem, vel poteſtatem, vel cognitionem*; id quod tam *verbis* fit, quam *factis*. Ejusmodi *interpretativa* Dei tentatio eſt in funibus ambulare: Absque ulla enim neceſſitate & utilitate cum hoc genus hominum, in pericula non mandata ſe conjiciens, Divinæ omnipotentiæ & cuſtodiæ non promiſſæ ſe committat, recte dicitur Deum tentare. Grave autem hoc eſt peccatum, dicitur enim *Deut. 6. Non tentabis Dominum Deum tuum.* Ad quæ verba *Gloſ. Deum tentat, qui habens quid faciat, ſine ratione committit ſe periculo, experiens utrum poſſit à Deo liberari.* Unde & tentati Numinis graviſſimas pœnas leguntur impii dediſſe, 1. Cor. 10. 9. ita ut *Deum tentare in ſacris notet ad iram concitare* Num. 14. 22. ✝. 78. 18. apud *B. Dn. D. Danh.* Colleg. Dec. p. 106. Quod vero cuſtodiam Angelorum Deum tentantes ſibi polliceri non poſſint, patet ex Pſal. 91. ubi *Pſaltes, angelis ſuis,* inquit, *de te mandabit, ut cuſtodiant te in viis tuis*: At, qui in funibus ambulat, non incedit in viis ſuis.

§. IX. Maximæ & portentoſæ etiam *temeritatis* eſt factum

ctum funibus incedere, & res ut periculi non neceſſarii plena eſt, ita eventus ſæpius infelicis juxta illud Megaræ apud *Senec.* in Hercule furente v. 326. *Nemo ſe tuto diu periculis offerre tam crebris poteſt, quem ſæpe tranſit caſus aliquando invenit.* Graviter hanc audaciam perſtringit *Muſonius* apud *Stobeum* Sermon. 29. fol. 20. οἱ μὲν ἄρα θαυματοποιοὶ δύσκολα οὕτως ὑφίστανται πράγματα, καὶ τὴν ζωὴν παραβάλλονται τὴν ἑαυτῶν, οἱ μὲν εἰς μαχαίρας κυβιστῶντες, οἱ δ' ἐπὶ κάλων μετέωροι βαδίζοντες, οἱ δ' ὥσπερ ὄρνεα πετόμενοι διὰ τοῦ ἀέρος ὧν τὸ σφάλμα θάνατός ἐστι, καὶ ταῦτα πάντα δρῶσι μικροῦ χάριν μισθοῦ. *Circumforanei quidem mirabilium authores perquam difficilia negotia ſuſtinent, & de vita ſua periclitantur, alii quidem ſaltantes ſupra gladios præcipitati, alii ſupra funem ambulantes in ſublimi, alii tanquam aves per aërem volantes, in quibus ſi contingat error, mortis periculum eſt, omnia tamen iſta mercedis exiguæ* cauſa faciunt. Nec diffitetur *Niceph. Gregoras* l. c. fol. 159. artis periculoſæ infelicem eventum, quando de funambulis ſuis ita loquitur: οὐκ ἀκινδύνων δ' ὄντων τῶν τοιούτων ἐπιτηδευμάτων, οὐδ' αὐτοί γε ἀκίνδυνοι διεγένοντο, ἀλλὰ κρημνιζόμενοι πολλάκις τινὲς διεφθείροντο, πλείους γὰρ τῶν τεσσαράκοντα τῆς πατρίδος ἑαυτῶν ἐξεληλυθότες μείους τῶν εἴκοσι ἐν Βυζάντιον διεσώθησαν. ἐθεασάμεθα δὲ καὶ ἡμεῖς, ἕνα τοῦ ἴσου πεπτωκότα καὶ θανόντα, *ſed cum ea ſtudia periculoſa ſint, ne ipſi quidem periculorum expertes fuerunt, ſed ſæpe præcipitati aliqui perierunt. Nam cum amplius XL. patria exceſſiſſent, pauciores XX. Byzantium pervenerunt. Vidimus & nos unum malo delapſum interire.* Nimirum uti bene *Auctor ad Herennium* loquitur, ne *Deus quidem iis & auxilio, qui inconſulto ſe in pericula mittunt.*

§. X. Quanquam vero ex Moraliſtis *Sylvius* verb. *Ars.* q. 8. *funambulum ſuper funes in altiſſimis locis corpus volutantem peccare moraliter* concedat. *Martino* tamen *ab Azpilcueta* Doctore Navaro Judice in Manual. conf. p. 237. *Id non procedit, quando prudentis arbitrio, ille funambulus eis viribus & velocitate pollet, locusque ſic eſt appoſitus, ut ſine periculo veriſimile talem jocum exercere poſſit.* Ita *Martinus Bonazina* Theol. Moral. tom. 2. fol. 665. n. 8 *Excuſari poſſe* ait, *qui ſua agilitate corporis ambulent ſuper funem.* Sed fingitur caſus vix dabilis ab his ſophiſtis. Quemadmodum enim vix ſordes per aquam è manibus ablui poſſunt,

quin ipſæ humectentur manus, ita non ambulabit in fune per aëra extenſo funambulus, vel in eodem corpus ſuum volutabit, quin probabili & rationabili ſe exponat periculo vitæ. Bene proin *Seneca* ep. 14. *Nihilominus quantum poſſumus evitemus incommoda quæque, non tantum pericula, & in tutum nos reducamus, excogitantes ſubinde quibus poſſint timenda depelli.*

§. XI. Male denique jure audiunt Funambuli ob ſuam artem, quia quicquid agunt nunquam faciunt honeſtatis cauſa. Nam *πολλὰ ἐκ τῶν θεωμένων συνάγοντες χρήματα, περιῄεσαν πανταχῇ τῆς γῆς, ἅμα μὲν κέρδους ἕνεκα, ἅμα δὲ καὶ τὴν ἑαυτῶν ἐπιδεικνύμενοι τέχνην. Magnam pecuniam à ſpectatoribus colligendo quovis terrarum proficiſcebantur, partim lucri faciendi cauſa, partim artis ſuæ oſtentandæ gratia*, ait *Niceph. Greg.* l. c. quæ ſoli præterea aurium & oculorum inani, imo & noxiæ voluptati mancipata eſt. Qualis autem finis, tale quoque medium. Et ab honeſtate quod eſt remotum, id cordatis quoque ſe nunquam probaverit. *Sua ſponte occurrant ſalutaria & ubique ac ſtatim deſiderata præſtò ſint, & ſine mora ulla veniat illa turpis honeſtique diſtinctio, ſciatque nec malum eſſe ullum niſi turpe, nec bonum niſi honeſtum, hac regula vitæ opera diſtribuat ad hanc legem & agat cuncta & exigat*; recte monet *Seneca* lib. 7. de benef. c. 2. Quod ſi qui vero penuriam & paupertatis neceſſitatem tanquam artium harum Magiſtram obtendunt, illis reſpondit *Cyprianus* l. Epiſt. ep. 10.

§. XII. Unde *Gentiliſmum* etiam ſapit, non ideo quidem, quia apud Gentiles Schœnobatica ars frequens fuit, ſed quia ad ſpectacula quæ ſolius voluptatis cauſa, & virium experiundarum ergo, etiã cum maximo vitæ periculo inſtituebantur profane, pertinet. Conſtat autem ejuſmodi ſpectacula à B. Eccleſiæ Doctoribus vehementi zelo fuiſſe improbata, quod uti *Salvianus* de Gubern. Dei l. 6. loquitur p. 197. *nihil ferme criminum vel flagitiorum ſit, quod in ſpectaculis non ſit, ubi ſummum deliciarum genus eſt mori homines, aut quod eſt morte gravius, acerbiusque lacerari, expleri ferarum alvos humanis carnibus, comedi homines cum circumſtantium lætitia, conſpicientium voluptate, hoc eſt non minus pene hominum aſpectibus quam beſtiarum dentibus devorari:*

Con-

Conſtat autem Funambulos temeritate potiſſimum æſtimari, & quo majori periculo & audacia in funibus portentoſo corporis motu ſe agitare novit eo plus laudatur talis, eoque majori cum circumſtantium lætitia & ſpectantium voluptate, munus ſuum bene impleſſe creditur.

§. XIII. *Minime* omnium autem, ſi vel maxime in viris ea aliquam inveniat excuſationem, *Fœminas artem Schœnobaticam exercere decet*, cum ob ſexus hujus, tum ob artis ipſius rationem. Æſtimatur enim ſexus fœmineus virtutibus pudicitia potiſſimum, modeſtiæ, adminiſtrandæque familiæ peritia, aſt, ut cum *B. Cypriano* 2. Epiſt. 2. loquar, *creſcit talis mulier in laudem ex crimine, & eo peritior quo turpior judicatur*. Eleganter quæ mulierum ſint exercitia explicat *Clemens Alexandrin.* Pædagog. l. 3. cap. 10. fol. 242. οὐδὲ ἐνταῦτα ὑπερετάιον τῆς κατὰ τὸ σῶμα διαπονήσεως τὰς γυναῖκας. ἀλλ' οὐκ ἐπὶ πάλην καὶ δρόμοις παρακλητέον αὐτὰς, ταλασιουργία δὲ γυμναστέον, καὶ ἱστουργία, καὶ τῷ παραστῆναι τῇ πεπτούσῃ, εἰ δέοι: *Neque vero hîc ſunt abducendæ mulieres â labore corporis, ſed non ad luctam & curſum exhortandæ ſunt, verum in lana & tela ſunt exercendæ, ut & piſtrici adſint, ſi opus ſit.* Profligati ſane pudoris ſit neceſſe eſt mulier, quæ populo viriſque ſpectaculo facta, indecenti motu vel in fune ſaltat, vel in eodem ſurſum deorſumque corpus volutat. Ad colum & telam remitti debet uti Hector ad Andromacham apud *Homerum* dixit: Iliad. 6. p. 236.

——— εἰς οἶκον οὖσα τὰ σαυτῆς ἔργα κόμιζε
ἱστόν τ' ἠλακάτην τε, καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε
ἔργον ἐποίχεσθαι.

h. e. *in domum vadens tua ipſius opera cura, telamque columque & ancillas jube opus facere &c.*

Et ſicut parum pudoris habet talis Schoenobatica, ita laſcivo oculorum, corporiſque motu impudico, & hiſtrionicis geſtibus omnia inquinat. *Movet*, ut ad eam verba glorioſiſſimi Martyris *Cypriani* rurſus applicemus, l. c. *ſenſus, mulcet affectus, expugnat boni pectoris conſcientiam fortiorem, nec deeſt probri blandientis authoritas, ut auditu molliore pernicies hominibus obrepat.*

§. XIV. Non etiam probandum *pueros puellasque* ad artem hanc in fune ambulandi inſtitui. Parentum quippe hoc eſt officium operam dare, quo liberi in artibus, quæ vitæ ſociali & Civili utiles ſunt, erudiantur. Eximie B. noſter Dn. *Bœclerus* Inſt. Pol. lib. 3. p. 45. *Admonet Parentes ut curam educationis ſerio & conſtanter ſuſcipiant, nulli operæ, nulli ſumtus parcentes, ſiquidem familiæ ſuæ honeſtam ſucceſſionem, Civitatis ac Patriæ utilitatem cui non nos modo ſed noſtros præſtare debemus, præcipue autem authoritatem Dei, inſitis naturæ ac ſanctis legum ſtimulis ad munia Parentum ſtimulatis amant atque reverentur.* Nullam hujus ſui officii habent rationem Parentes, qui vel ipſi liberos funambulatoriam artem docent, & in eadem illos erudiri ſinunt. Recte chariſſima ſua pignora Molocho, quantum in illis, dicuntur tales immolare. Ægerrime tulit olim B. *Cyprianus* I. ep. 10. dari inter Chriſtianos, qui hiſtrionicam artem docere non erubeſcunt: *Puto*, inquit, *ego nec Majeſtati Divinæ nec evangelicæ diſciplinæ congruere, ut pudor & honor Eccleſiæ tam turpi & infami contagione fœdetur*; quanto longe gravius eum tuliſſe credimus, parentes ipſos in ejusmodi Chriſtiana pietate ac gravitate indignis artibus ſuos liberos erudire.

§. XV. Cæterum cum ars Schœnabatica non probari à Chriſtianis debeat, *an tolerari poſſit in Civitate Chriſtiana* quæritur? B. certe Eccleſiæ Patres, *Tertullianus, Clem. Alexandrinus, Cyprianus, Anobius, Lactantius, Iſidorus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Salvianus*, cum quo doctiſſima *Rittershuſiana* annotatio p. 190. conjungenda, è ſua Republica Chriſtiana eos expellendos eſſe cenſent, ſi conſideremus ea, quæ de ſpectaculis graviter monuerunt. Cum vero res jam ſit introducta, atque uſus ita obtinuerit, qui haud raro facilius toleratur, quam immutatur, recte pius facit Magiſtratus, quando aliter non licet, quod, quantum fieri poſſit, coërceat hoc circulatorum genus, non omni, ſed nundinarum tempore, quo major libertas concedi ſolet, ſique Reipublicæ læta non funeſta res fuerit facies, illos admittendo; merito & certis legibus temeritas funambulatoria, ne quidvis tentet, circumſcribitur, dieque Dominico

vel

vel Feſto prohibetur. *Sic Impp. Theodoſ. & Valent. in libr. 5. Dominico C. Theod. de Spectaculis lib. 15. certis quibusdam diebus feſtis omnem Theatrorum atque Circenſium voluptatem per univerſas urbes earum populis denegant, ut tota Chriſtianorum fidelium mentes Dei cultibus occupentur. Et addunt mox, ſi qui etiamnum paganitatis errore atque inſania detineantur, eos ſcire debere, aliud eſſe tempus ſupplicationum aliud voluptatum*, ut loquitur Doctiſſimus Dn. *Conradus Rittershuſius* Comentar. in Salv: pag. 215. Mature denique ut rurſus abeant cogendi ſunt, nec illis quamdiu hanc artem exercent, Jus Civitatis concedi debet.

DEO LAUS, HONOR, ET GLORIA
IN SECULA SECULORUM.

COROLLARIA Addita.

I.

DEfinitio Cometæ *Ethica*, quam ſic vocat exhibetque *Stanislaus Lubieniecius* Theatr. Comet. Exit. f. 26. quod ſc. ſit *ſignum ſupernaturale, artificiale, arbitrarium, doctrinale, indicativum, memoriale, quo & Deus vias ſuas homini ſignat, bona bonis, mala malis denuntiat, & homo ratione ac Divinæ voluntatis notitia præditus, ejusque inten-*

intentioni & inſtitutioni obediens, officia ſua ſibi in memoriam revocari patitur & gaudet: è contrario officiorum negligens minas donunciatas timet ac horreſcit: in Philoſophiam moralem peccat.

II.

Cometæ etſi non ſuperſtitioſe timendi, non tamen profane contemnendi, vel ſarcaſtice ridendi ſunt. Medium tenuere, uti loqui amant beati.

III.

Inepta eſt, & quam etiam naturalis exſibilat pietas, ratio, qua ideo nil mali portendere dicuntur cometæ, quod ſæpius, etiã ejusmodi novis Stellis nunquam viſis, calamitoſiſſima inciderint tempora; aut quod feliciſſimus rerum ſtatus talia conſecutus ſit phænomena. Repugnat enim hæc partim Divinæ libertati, partim Divinæ bonitati & promiſſioni *Jerem. 18.*

IV.

Erycius Puteanus quando de Cometa anno 1618. ſcribit, quod fuerit *præſagium felicitatis*

..itatis ad Pontificem, Imperatorem, Regem, Catholicos & Sereniſſimos Principes relatum: idem eſt, ac ſi quis negaret peſtem eſſe malam, quod Medicos, Pharmacopœos, veſpillones, alios reddat divites: vel fulmen, quo incenſæ conflagrant urbes, non ab irato immitti numine, quod aërem purget.

V.

Significationem Cometarum *moralem*, quam ſic vocant, potius ratione gentium integrarum & civitatum, quam ratione unius alteriusve individui, ſpectari debere exiſtimamus.

VI.

Cometa poteſt mala portendere, ſalva voluntatis humanæ libertate.

E*rrabunde tuas artes* Funambule *jactans*
Num dubio ſaltu præmia certa paras?
Detegit en veſtris velamen fraudibus, atque
Spe fruſtrata ſua præmia veſtra facit,
Stultitiam veſtræ quando Leubrandtius *artis*
Prodit, veſtra ſimul præmia vana facit.
Palmam ſucceſſu dubiam ſic præripit iſte
Certo, quando iſtum non dubitata manet.

Pereximio Diſp. Dn. Autori ſuoque fautori gratulaturus apposuit

M. Joh. Fridericus Geiger.

Q*Vod* Funis *poſſit tractari in Philoſophia,*
Diſcurſus doctus nos tuus hicce docet.

f.

J. H. D. SS. Th. St.

AD PEREXIMIUM DN. RESPONDENTEM.

E Numeras artem vani Funambuli inertem:
Ingenii vires at ſimul enumeras.
Dedecus illa quidem quæſtu meret usque malignô:
Parturit eximium Tī labor hicce decus.
Tu modo perge bonus: cœptis non dêrit IOVA,
Nec ſtudio merces: Tu modò perge bonus.

Vota gratulatoria

H. L. M.

F I N I S.